



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XII. Crvx scala, quâ ascenditur in domum Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT XII.

CRUX scala, quã ascenditur in
domum Dei.

Ascende ad me in montem. *Exod. 24, 12.*

Scande, tibi faciles CRUX. prabet idonea
scalas,

En patet ad Superos REGIA (scande) VIA.



ALENTIBVS VOTIS & ROTIS sen-
sim Staurophila supernæ Ieru-
salem appropinquabat, quam
cũ à longè vtrũque aspi-
ceret, ita eam Christus excita-

uit: Leua nunc, amica mea, oculos tuos, &
vide ciuitatem illam supra montem posi-
tam. Hæc est enim Ierusalem illa, quæ sursum

est, quæ edificatur vt ciuitas, cuius participa-
tio eius in idipsum. Hæc ciuitas Regis magni,
cuius fundamenta in montibus sanctis.

Gal. 4, 26.

Psal. 121, 3

Psal. 47, 9.

Psal. 86, 1.

Vix se tenebat hæc audiens Staurophila,
& præ lætitiã exultans, aiebat: Gloriosa dicta

Psal. 86, 2.

sunt de te ciuitas Dei. Beati omnes, qui dili-
gunt te, & qui gaudent super pace tuã. Letata

Tob. 13, 18

prorsus sum in his quæ dicta sunt mihi, quia

Psal. 121, 1

stantes erunt pedes nostri in atrijs tuis Ierusa-
lem. Sed quis iam deducet me in ciuitatem

Psal. 59, 10

B b 3

muni-

*munitam? quis adducet, Domine, in montem
Pfalm. 5, 4. sanctum tuum, & in tabernacula tua? Quis
dabit mihi pennas, sicut columba, & volabo,
& requiescam?*

Exceptit Christus: Non opus est alis, sed
SCALIS: Neque enim volando, sed gradatim
ascendendo peruenitur in montem Domi-
ni. Non meministi vt Patriarcham Iacob
Deus olim solatus sit, ostendens illi SCALAM
Gen. 28, 12. *stantem super terram, & cacumen illius tan-
gens celum: Angelos quoque Dei ascendentes
& descendentes per eam, & Dominum inni-
xum scale?* Memini, inquit Staurophila,
historiæ huius: sed expone, quæso, spirituale
quod in eo hæret mysterium. Et Christus:
Philo l. de Somnijs. *Miranda sunt hæc prorsus; continent enim
perillustre laboris & patientiæ exemplum. Sca-
Tertull. l. 3. Cont. Marcion. la enim hæc ostendit arduum iter ad celum,
quo quidem alij per labores CRUCE sique
perueniant; vnde alij difficultate superati
decidunt. Sed vt cumque laborem habeat hic
ascensus, aiebat Staurophila, illud tamen
dulcissimè solatur, quòd gradibus his supe-
ratis, aditus pateat in cælum. Ita est, inquit
bat Christus, & hoc voluit æterna Dei Sa-
Sap. 10, 10 *pientia, cum profugum iræ fratris iustum de-
duxit per vias rectas, & ostendit illi regnum
Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum: hone-
stauit illum in laboribus, & compleuit labores
illius.**

illius. Iam tum fanè id Iacob agnoscebat,
 unde & euigilans, pauensque dicebat: *Quàm* Gen. 28.
terribilis est locus iste! non est hìc aliud nisi
domus Dei, & porta celi. nimirum hæc ideò

illi ostensa, vt nec fratrem, nec ærumnas,
 nec dolores vllos refugeret, quibus ni-
 mirum sciret cælestes adiri mansiones, &
 requiem parari æternam. Quis, inque-
 bat Staurophila, similes mihi concedat
 scalas, vt ascendam ad montem Domini, Isaia 2, 3.
 & ad domum Dei Iacob? Ecce terra deorsum, August. in
 quam calcamus pedibus nostris: ecce iam celum Psal. 122.

sursum, quod videmus oculis nostris; & ascen-
dere gestiens, canto: Ad te leuavi oculos
meos, qui habitas in celis. vbi sunt ergo scale?
tanta enim interualla conspicio inter celum &
terram, tantam separationem & tanta spatia
locorum; & illuc volo ascendere, & scalas non

video. An nescis, respondebat Christus, vt in
alijs, ita & hìc ipsam tibi præsidio fore CRV-
CEM? quàm magna enim & mira ego cælestis August. de
Architectus de CRUCE meâ feci? Ex ipsâ Cataclyf.
enim scalas cæli, per quas hominem lapsum tom. 9.
ad cælestem patriam leuarè, construxi. O qua-
les scale! quarum caput in celum positum, per
quas ipse & ascendi, & descendi, & propter cõ-
firmationem ipse super eas incumbo! Ascende
secura, si desideras celum: non te terreat earum
nec angustia, nec longitudo, nec altitudo: nihil

Bb 4 timeas,

timeas, non nutant gradus eius, quos ego Architectus sic confirmavi, ut in eius ligno manus meas clavis affigi voluerim. Desuper autem scalæ innitor, ut lassis manum porrigam, ut ascendentes meo ad labores prouocem aspectu.

Hieron.
Epist. ad
Iulian.
tom. I.

O Domine, inquebat Staurophila, quanto desiderio desiderat anima mea per SCALAM CRVCIS ascendere in Bethel, in domum Dei nostri! Huc enim me prouocat, huc inuitat facies illa tua decora, in quam desiderant Angeli prospicere. Sed ascendere conanti porrige, quæso, manum, & ostende iam quomodo CRVX & tribulatio SCALA sit cæli.

Habet hoc, respondebat Christus, omnis aduersitas & CRVX, ut quantum hominem mœrore deprimere videtur, tantum subleuet ad cælum, Deoque faciat viciniorem. Ita aquæ diluuij quò magis incresebant, & arcam Noë obruere videbantur, eò magis à terrâ ad sidera eleuabant. Quàm sæpe afflicti, gementes, excruciatii experti sunt se ipsâ CRVCE à terrenis ad cælestia sustolli! nec ipsa id nescis, Staurophila. Scio Domine, inquebat illa, sed totam scalæ fabricam si fas sit, nouisse luberet. Cui Christus, Latera huius Scalæ sunt duo illa verba, *Sustine, & abstine*. Quid verò de gradibus dicam, quos

quos tibi Paulus *demonstrat*, & ascendentes
 quamplurimos inuitat? *Flecto*, inquit, *genua* August. de
Catacly-
smo.
mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut
det vobis comprehendere cum omnibus San-
ctis, quæ sit altitudo & latitudo, longitudo &
profundum. Quatuor gradus posuit CRVCIS.
Non ergo laboriose sunt hæc scala. Quatuor
gradus habent, & perducunt ad celum. In al-
titudine caput positum est crucifixi. Sursum
cor habeat Christianus ad Dominum, quod
interrogatus quotidie respondet, & ascendit
unum gradum: in latitudine CRVCIS ma-
nus affixæ sunt crucifixi. Perseuerent manus
Christiani in operibus bonis, & secundum gra-
dum ascendit. In longitudine CRVCIS corpus
pependit crucifixi. Castiget quis corpus suum
obseruationibus, ieiunijs illud suspendat, ut ser-
uituti animæ subijciat, & tertium gradum
ascendit. In profundo CRVCIS occultum est
quod non vides, sed inde exurgit hoc totum
quod vides. Adsit fides Christiana, quod non
potest comprehendere, credat corde, altiora à se
non querat, spes eum nutriat, & tunc quartum
gradum ascendit. Per hos gradus ascenderunt
Sancti omnes, continentés, coniugati fideles,
euaferunt ruinas mundi, migrauerunt ad loca
tutissima.

Felices prorsus, inquit Staurophila, hi
 gradus, quibus ad felicitatem conscenditur

Pfal. 83.

æternam! Utinam, Domine, celeri cursu illos superare queam! Cui Christus: *Ascēſiones* has in corde diſponere oportet in hac valle lacrymarum, in loco quē tibi Deus poſuit. Ille etenim benedictionem dabit, vt eas de virtute in virtutem, donec videas Deum deorum in Sion. Non te terreat labor, non reuocet difficul-

Cant. 3, 10

tas: neque enim ad aureum Salomonis reclinatorium aditus patet, niſi per aſcenſum purpureum. Nonne vides vt ipſa CRUX, ex quā *ſcalas* mihi in cælum feci, fuerit ornata

Iſaie 63, 2.

Regis purpurâ? Non legiſti *rubrum* fuiſſe indumentum meum, & *velut calcantium in torculari*? Age igitur, cruenta Sponſi tui lege veſtigia, & imitationis feruore eiſdem inſiſte, vt cum eo ſimul aſcendas in montem ſanctum, & in tabernacula æterna. Parata ſum, ſubijciebat *Staurophila*, & non ſum turbata, vt ſequar veſtigia Dilecti mei, vt aſcendam

Hab. 3, 16

ad populum accinctum noſtrum: nam, vt non ſemel intellexi, *ſancti Martyres ad cæleſtis regiæ ianuam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de equuleis, cataſtis, & CRVCIEVS fecerunt*. Sed obſecro, Domine, trahe me poſt te, quia retrahit à te corpus hoc aggrauans animam. Dirige quaſo grefſus meos, ne commoueantur pedes mei: operi manum tuarum, Domine, porrigas dexteram, ne corruam in conſpectu ad-

Saluian.
lib. 3. de
Gubernat.
Dei.

uer-

uersariorum meorum. Vix hæc elocuta erat,
 cum Christus extensâ manu apprehendit
 eam, & subleuauit ad sîn montem, dicens:
 Optimum, Dilecta mea, factum, quòd im-
 ploraris auxilium meum, nec in potentiâ tuâ,
 sed in me solo habueris fiduciam. Nam qui Prouer. 29,
sperat in Domino, subleuabitur: nec unquam 25.
 de deserto huius mundi ascendere poterit
 anima, nisi innixa super Dilectum suum. Cui Cant. 3, 5.
 illa: Docuisti hoc, Domine, ancillam tuam,
 ut speraret in te. Propterea confitebor tibi, &
 exultabo in Deo IESU meo. *Benedictus Deus* Hab. 3, 18.
meus, & exaltetur Deus salutis meæ. *Deus, qui* Psal. 17, 47
præcinxit me virtute, & posuit immaculatam ÿ. 33.
viam meam. Qui perfecit pedes meos tamquam
cervorum, & super excelsa statuit me. Et dedi-
sti mihi protectionem salutis, & dextera tua
suscepit me. Propterea diligam te Domine for- ÿ. 1.
*titudo mea, & * benedicam nomini tuo in secu-* *Psal. 147,
lum, & in seculum seculi. 1.



Pulsanti aperietur. *Luc. 11, 10.*



*Hem! CRVCE pulso fores, Proceres attollite
portas:
Cognitus hic vobis (eia aperite) sonus.*